88

DISPVTATIO.

NON SOLVM NONNVLLIS AMICIS ROGANTIBVS, SED COLLEGIO ETIAM PHILOSOPHICO DEMANDANTE, Andreas Trautenbeilerus Philoſophiæ Magiſter, quæſtiones hic propoſitas more ſcholarum, ſe, ac alios vel erudiendi, vel exercendi cauſa tuebitur.

Reſpondentibus Ioanne Schamroth, & Friderico Liechtenawer optimarum artium Baccalaureis.

QVAESTIO PHYSICA.

V. Ariſtoteles Philoſophorum princeps, rectè Animam actum primum corporis naturalis organici, vitam habentis potentia definierit?

PRONVNCIATVM I.

QVùm omnis definitio, quæ ex Genere & differentia conſtat, bona iudicetur, hæc etiam bona ſit oportet. Nam vocabulum actus primi in ea definitione ſignificat Genus, reliqua differentiam.

II.

Ac etſi doctiſſimi viri de voce ἐντελεχείας, qua eſt Ariſtoteles vſus, inter ſe non leuiter contendunt, & alij Platonis, qui moueri animam voluit, alij Ariſtotelis, qui non moueri pugnat, ſententiam ſequuntur, ideoq́; neutris vel reſiſtere, vel adeſſe facile audemus: tamen, cùm hoc in loco non poſſimus controuerſiam illam prorſus pręterire, ac ſententiam noſtram diſſimulare, tùm eorum ſententia, qui legendum volunt ἐνδελέχειαν, tùm Ariſtotelis de hac re opinio veriſimilior videtur.

III.

Efficitur igitur definitionem, quam de omnibus animantibus intelligi volumus, bonam eſſe.

QVAESTIO ETHICA.

¶ Quùm tria ſint bonorum genera, Fortunæ, Corporis, & Animi, non immeritò quæri poteſt, virtus ob aliud, an per ſe expetenda ſit?

PRONVNCIATVM I.

Id per ſe, & propter ſe dicitur expeti, quod ſui, non alterius cauſa expetitur: non per ſe verò, quod non expetitur ſui, ſed alterius cauſa.

II.

Quanq́; autem virtutem plerumq́; alia quædam, ut ſunt gaudium, vtilitas, honor, & ſimilia ſequuntur: ea tamen propter illa, tametſi poſteriora, non eſt expetenda, cùm ſua ſponte, ut ſummum bonum, & per ſe, vel ſeiunctis illis, colenda ſit.

III.

Statuendum igitur, virtutem non ob aliud, ſed per ſe expetendam eſſe.

QVAESTIO DIALECTICA.

¶ An Rodolphus Agricola vir ſummus, & magnum decus Germaniæ, cum in libris de inuentione docet, Maximas, quas nominamus vulgò, locis confirmandis in nullum vſum addi, rectè arbitretur?

PRONVNCIATVM I.

Maximæ, ipſo definiente Rodolpho, ſunt pronunciata quædam, vna ſententia multa complexa, quibus indubitata ſit fides.

II.

Rationes, quas ille pro ſua ſententia affert, etſi non prorſus infirmas dicimus, tamen, cùm tanta ſit humanorũ ingeniorum diſſimilitudo, & imbecillitas, remedia velut quædam, vel adminicula in docendis rudioribus rectè adhibentur.

III.

Omnes verò Maximas ideo ſtatim firmas eſſe; aut tàm latè patere, quàm ipſos locos, aut aliter ſine illis tractari nõ poſſe, haud adſeruerimus.

IIII.

Ergo, ſi licet pace tanti viri dicere, Maximę à plerisq́; doctis viris in diſſerendi arte ad locos explicandos rectè adiungi ſolent.

ADIECTICIAE THESES.

¶ Vinum quidem eſt velut aquę ſpecies, ut vult Ariſtoteles, omnium doctorum doctor, non tamen ideo non eſt calidum natura potius, q̃ frigidum, quantumuis nonnulli recentiorum acuti homines hactenus vi ſua frigidum eſſe, aliena verò calidum velint; ac propterea vel non eſt propriè vinum, quod eſt æquo acerbius, vel non omne vinum calefacit.

ALIA.

Nunq́; eſt bonum valetudini vel prandere, vel cœnare prolixius, hoc eſt, præter modum, et quanq́; neutrum alterutro eſt melius, hoc eſt, minus malum, niſi, cum procul à medio receditur, ſicuti fit in commeſſationibus; tamen cœnare aliàs, aliàs prandere liberalius videtur non ſic tantum eſſe melius, id eſt, minus malum, ſed etiam valetudini bonum ſine tali comparatione.

ALIA.

Quod in ſcholis vulgò dicitur, plus valere in moralibus facta, quàm dicta, non ita in peritis verum eſt, ut in imperitis, nec doctrinæ conuenit propriè, ſed auctoritati.